



Theologiae Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Intellectu & Scientia Dei, ejusque Objecto. Item de
voluntate & volitione Dei, ejusque Objecto

Bosco, Jean a

Antverpiae, 1686

Concl. VIII. Deus actu positivo attingit negationes existentiae rerum
possibilium, etiam quæ nunquàm evenient.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73680](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73680)

suam essentiam necessariò, & Petrum liberè; & sic prima terminatio libera est circa Petrum, quæ sufficit, ut constituat actum iustitiæ, vel misericordiæ circa Petrum. Exemplum de scientia non convincit; nam numquam creatura movet, ut est in se; sed ut est in essentia divina, in se verò terminat, quod non est inconveniens. Hactenus Franciscus.

Sed quæro ego: Creatura in se primò terminat cognitionem Dei? Nonne docet Tract. de Scientia Dei cap. 3. diff. 1. num. 3. objectum primarium scientiæ Dei, tam motivum, quàm terminativum, esse essentiam divinam? Quomodo ergo hic benè dicis, creaturam primò terminare volitionem Dei? Si respondeas: duplicem esse terminationem, unam liberam, & alteram necessariam; & huius primum objectum terminativum esse essentiam, illius autem posse esse creaturam. Contrà; etiam duplex est cognitio divina, una necessaria, altera libera; & dicam ego illius quidem divinam essentiam esse objectum primum terminativum; huius autem posse esse creaturam. Placet quod dico? Si non, expectabo disparitatem.

Ceterum benè notat præfatus Auctor sup. num. 5. dissensionem hic inter Auctores potius esse de nomine, quàm de re. Quamvis ipse num. 6. Nobiscum doceat, finem & motivum divinæ volitionis non esse aliquid creatum; sed solum divinam essentiam, vel ejus bonitatem. Res certa apud Omnes est, volitionem divinam realiter identificari essentia divinæ; & idè sicut essentia divina nullam habet causam efficientem, aut finalem, ita nec volitio divina. Causam, inquam, propriè dictam, postulans utique realem distinctionem effectus cum dependentia à se. Quæ enim hæc causa esset? Deus, secundum Omnes, est independentes à creatura, & omnia, quæ in Deo sunt, unum sunt realiter.

Etiam per se notum videtur; posse dari ex parte objecti creati rationem aliquam per se motivam alicujus decreti liberi divinæ voluntatis: quod licet nihil addat reale ipsi actui necessario divinæ voluntatis, juxta veriorē sententiam suo loco explicandam; equidem per illud verè Deus vult liberè tale objectum creatum, & ut id velit, licet prima ratio sit bonitas ejus, ex parte tamen objecti potest interdum considerate priorem aliquam rationem, ob quam id velit: hoc enim nullam imperfectionem involvit, nec dependentiam aut causalitatem veram alicujus rei, quæ in Deo fit; & alloqui est necessarium, ut aliqua conditio, vel actio creaturæ possit esse ratio vera alterius effectus divini, non solum per modum finis, ejus gratia aliquid fit; sed etiam per modum mediū, aut alterius principii ex se postulantis talem effectum. Hæc re habitā, nolo amplius immorari quæstioni de nomine; sed progredior, & quæro; an etiam non entia pertineant ad objectum secundarium divinæ voluntatis? Responso patebit ex dicendis Conclus. sequenti, quæ talis est

CONCLUSIO VIII.

Deus actu positivo attingit negationes existentia rerum possibilem, etiam quæ numquam evenient.

Non entia, id est, entia rationis, negationes, & privationes, sunt objectum secundarium divinæ voluntatis; nam, ut dictum fuit Conclus. 1. idem est objectum voluntatis, quod intellectus; sed Deus cognoscit non entia, ut patet ex Sect. ult. Disp. præced. Conclus. 1. 2. & 3. ergo etiam vult non entia. Sed quomodo vult? Respondeo: simili modo, quo ea intelligit. Sicut ergo intelligit negationes, & privationes, in forma opposita, juxta ea, quæ diximus loco cit. Conclus. 2. consimiliter ipse vult ratione formæ positivæ; v. g. vult negationem aut privationem caloris, quia vult calorem non esse in subiecto, & simpliciter vult, illum non esse; hæc quippe volitio nullam involvit imperfectionem: quin immò ad perfectionem primæ causæ spectat, ut in ente creato nulla inveniat negatio, vel privatio independentes à voluntate (complacente aut permittente) ejusdem causæ primæ.

Hinc ergo ad particularia descendendo, assero cum Smiling Tract. 3. Disp. 3. numero 50. Velle Deum negationes naturales, & mala naturalia, etiam voluntate complacentiæ, & idem est de malis poenæ; licet neutra velit per se; sed utraque solum per accedens ratione boni annexi. Prior pars patet ex Scriptura, Psalm. 73. v. 16. Tuus est dies, & tua est nox. Psalm. 103. v. 20. Posuit tenebras, & facta est nox. Matth. 10. v. 29. Nonne duo passeret asse veneunt, & unus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro? Amos 3. v. 6. Si erit malum (poenæ) in civitate, quod Dominus non fecerit. Ubi, cum dicitur Deum posuisse illas privationes, & fecisse illud malum, indicatur voluntas complacentiæ.

Si objicias, quod dicitur Sap. 2. v. 24. Invidiā autem diaboli mors introivit in orbem terrarum; ergo Deus non fecit mortem. Respondet Smiling sup. intelligitur per se ac primariò non fecisse, ut habet posterior assertionis pars.

Ratio verò prioris partis est; quod in hujusmodi voluntate complacentiæ nulla appareat imperfectio, sed perfectio potius pura; cum hæc mala possint esse per se conditiones, seu occasiones bonorum. Nam privatio physica est conditio requisita ad generationem substantialem; non enim nisi priori formæ substantiali expulsa alia induci in materiam potest; quo pacto ubius corruptio alterius generatio dici potest. Et idem suo modo videri

209.

Non entia

sunt ob-

jectum secun-

darium di-

vinæ vo-

luntatis.

Quomodo

Deus ea

velit.

210.

Deus vult

negationes

naturalia,

& mala

naturalia,

ac poenas

ratione boni

annexi.

211.

Objecto ex

Script. sol-

vitur.

212.

Probatio ex

ratione.

Mala natu-

ralia sunt

occasiones

bonorum.

deri licet in generatione accidentali, quæ inter contrarias qualitates versatur; quia subiectum qualitate aliquâ imbutum contrariam naturaliter non admittit, nisi priorem dimittat, aut remittat. Magnus denique ex ista naturalium generationum & corruptionum vicissitudine existit ornatus Univerſi; quemadmodum in oratione elegantia verborum ex eorum antithesi confurgit, & in musico concentu ex aliquarum vocum silentio, dum aliæ audiuntur, atque his silentibus aliæ succedunt.

213. Audite August. Enchir. cap. 11. Ubi loquens de admirabili pulchritudine Univerſi, ait: In qua etiam illud, quod malum dicitur, bene ordinatum, & loco suo positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis. Neque enim Deus omnipotens, quod etiam infideles fatentur, rerum cui summa potestas, cum summè bonus sit, ullo modo fineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut bene faceret etiam de malo. Et verò quid clariùs, quàm mala pœnæ conducere ad bonum iustitiæ vindictivæ? Ut igitur magis eluceat & placeat hoc bonum, Deus infligit malum pœnæ; adedque vult illud, non per se, ut habet posterior assertionis pars, sed per accidens, ratione boni annexi. Etenim (ut rectè Dionysius 4. cap. de Divinis nomin.) Nemo intendens in malum, operatur: ejus non alia ratio est, quàm quia malum, ut sic, voluntari placere non potest.

214. Quod attinet entia rationis, facillè patet (inquit Theodor. sup. numer. 49.) Deum illa velle, juxta suum esse, quod à Deo, vel à causa secunda habere possunt; quia nullum esse causabile, sive esse simpliciter, sive esse secundum quid, independenter à divina voluntate causabile esse potest: imo, non modo secundum esse actuale, possunt entia rationis esse volita à Deo, sed etiam suo modo secundum suum esse possibile.

215. Quoddam verò genus entis rationis principalius, quàm quædam entia realia, est volitum à Deo; nimirum bonitas, honesta in genere moris; quia ad illam creaturæ intellectuales dona, ad naturam, vel gratiam pertinentia, ordinavit. Est etiam quoddam ens rationis, nempe honor & gloria Dei, prout quamdam denominationem extrinsecam honorati & gloriosi importat, propter quod vult Deus omnia alia à se, adedque illud maximè vult, ut patet ex sup. dictis.

216. Modus autem, quo Deus vult entia rationis, est similis illi, quo Deum diximus Disp. præced. Sect. 7. Conclus. 3. cognoscere entia rationis; videlicet ratione entis realis, unum ens reale cum altero conferendo, & componendo, attendendo in unum, quatenus alterum comitur, aut ad alterum terminatur, ut enim intellectus; ita etiam voluntas potentia collativa est: incomplexè autem omnino non potest ens rationis esse volitum, quemadmodum nec cognitum à Deo, ut ibi ostensum est. Itaque

honestatem moralem v.g. vult Deus, volendo actum liberum cum omnibus circumstantiis debitis ad honestatem: vult gloriam & honorem, volendo actum alterius terminari ad excellentiam honorati, & gloriosi, tamquàm protestationem, ac testimonium ejus, & sic de aliis entibus rationis. Ita Theodor. sup.

Sed cum hæc satis constent; difficultas tamen est, & dissentio inter Auctores: an Deus actu positivo velit negationes existentia rerum possibiliū, etiam earum, quæ nunquàm erunt, v.g. negationem Incarnationis Spiritus sancti, quæ Incarnatio quàmvis possibilis sit, nunquàm tamen erit. Affirmat prima pars Conclus. cum Felice de voluntate Dei c. 4. diff. 2. numero 4. qui putat, eam esse Scoti, quàmvis Alii citent illud pro opposito, ut infra videbimus. Petrus Conclus. nostram probemus ex ratione, Hæc mihi efficax est (inquit Francisc. sup.) Deo tribuendum est, quod est perfectius; sed actus positivus in Deo circa tales negationes est possibilis, & perfectior in ratione voluntarii, quàm pœna omisso: ergo actus positivus est Deo tribuendus.

Et confirmatur; nam si Deus suspensivè se haberet, posset in tempore incipere velle aliquid, quod est inconveniens; nam in illa sententia non esset in Deo mutatio, neque instantia. Sic illè. Sed hæc confirmatio parvi est ponderis, ut patet ex alibi dictis. Videamus, an sit melior secunda confirmatio, quam ibidem dicitur. Auctor subjungit: Sequeretur (inquit) quoddam aliquid proveniens à Deo, nempe illa negatio, non esset à Deo ordinata in aliquem finem, quod est contra illud ad Rom. 13. v. 1. Quæ sunt, à Deo ordinata sunt; & sine actu positivo nequeunt à Deo ordinari, præcipue in sententia Adversariorum, non concedentium puram ommissionem meritoriam. Contra quos etiam est, quoddam talis suspensio in Deo non erit honesta, quod etiam est inconveniens. Sic illè.

Sed in primis; tamen si aliqui Codices sic legant: *Ordinata sunt*: Biblia ramen Romana dicitur *Ordinata*, in plurali numero, & juxta versionem Græcam, posuit ly. *Ordinata*, scilicet potestates, de quibus ibi loquitur Apostolus, ut patet ex Textu: *Omnis anima prestatibus sublimioribus subdita sit &c.* Quæ autem potestates sunt, à Deo ordinata sunt. Ergo etiam negatio, de qua hic agitur, à Deo ordinata est, quomodo rectè sequitur? Deinde quæro; in sententia eorum, qui concedunt puram ommissionem honestam, & meritoriam, quod inconveniens est, in Deo talem ommissionem admittit? Et sanè, posita merà suspensione actus voluntatis divinæ circa Incarnationem Spiritus sancti, Incarnatio hæc non erit futura: ergo frustra ponitur actus positivus.

Respondet Felix sup. numero 5. neg. Consequentiā: nam licet (inquit) objectum non petat actum; petit tamen Deus, ut sit perfectè liber, & voluntarius. Et hinc patet differentia inter voluntatem humanam, & divinam; nam humana, quia creata, non petit summam perfectionem.

perfectiorem, quæ est actus positivus, sicut postulat divina. Urgent Adversarii, & dicunt: Non futurum non habet bonitatem: ergo nequit terminare actum positivum Dei.

Respondet Franciscus, sup. licet non habeat bonitatem entis; habet tamen utilitatem, ut Deus consequatur aliquem finem, v.g. privatio visus in cæco, ut manifestentur opera Dei in illo. Sic ille. Sed exemplum non est ad rem. Poncius autem in suo Cursu Theolog. Disp. 6. num. 3. ad simile argumentum; putat, negationes & privationes non habent entitatem: ergo nec perfectionem, aut bonitatem: & consequenter nequeunt terminare voluntatem ullam divinam. Respondet, distinguendo Consequens: positivam, concedo; negativam, nego Consequentiam.

Et si quæras, quid sit perfectio negativa, quam dicunt: Respondet: esse conducentiam, quam possunt habere per modum conditionis sine qua non, aut principii necessarii prærequiriti ad aliquem effectum positivum: nam negatio causæ impedituræ productionem frigoris, & privatio formæ ignis, est principium requisitum ad productionem formæ ignis in materia. Unde sicut bonum est, posse produci frigus, bonum erit, posse esse negationem impedimenti productionis ipsius. Ita præfatus Auctor. Sic ergo impræfentiarum, est negatio Incarnationis Patris, aut Spiritus Sancti, non habet aliquam positivam perfectionem, aut bonitatem, habet tamen negativam; id est, conducentiam per modum conditionis sine qua non ad aliquem effectum positivum, scilicet Incarnationem Filii, quæ convenientior erat, ut in sapientia (quæ Filio appropriatur) omnia restaurarentur, sicut omnia in ipso facta sunt. Deinde, convenientius erat, ut prior in processione etiam esset prior in Incarnatione.

Arguunt præterea Adversarii: Aliter se habet Deus, cum habet actum positivum, ac quando merè negativè se haberet: sed talis aleitas non est in Deo, ut patet; neque esse potest in non futurum: ergo circa illud solum suspensivè se habet. Respondet Felix supra, quod aliter se haberet tale non futurum per actum positivum: nam esset volitum à Deo; si verò Deus solum suspensivè se haberet, esset Deo voluntarium, non tamen volitum. Sic ille.

A quo si petas, an ergo in Deo non sit libertas suspensiva quoad exercitium: Respondet sup. num. 6. non esse: nam (inquit) cum hæc consistat in actu, & in omissione actus, & Deus circa rem amabilem non possit suspensivè se habere; sed necessariò debeat habere actum, non erit liber quoad exercitium suspensivè; bene tamen habens actum reflexum, quo velit suspensionem.

Si inferas: ergo aliquid creatum Deum quoad exercitium necessitat. Respondet, negando absolute; nam (inquit) quod Deus non possit merè negativè se habere, non provenit à boni-

Tomas I.

nitate objecti non futuri, cum possit velle illud non esse, & nolle esse; sed ex perfectione infinita voluntatis Dei. Inferi rursum: ergo Deus non liberè amat possibilia, contra eundem Auctorem cap. 3. diff. 4. Probatur Consequentia; quia non libertate quoad specificationem; nam non potest illa nolle; neque libertate quoad exercitium; quippe non potest circa illa merè negativè se habere.

Respondet Felix supra, quod libertas quoad exercitium in eo stat, quod voluntas Dei per modum actus primi sit indifferens, & præseindat ab actu; non tamen, quod per modum exercitii & omissionis suspensivè se habeat; nam hoc est imperfectio, quia sufficit, quod habeat actum reflexum, quo velit suspendere actum. Hucusque Felix; Tu dispice: an omnia feliciter, & die mecum, nihil ex omni parte beatum; præsertim in his quæ pendunt à mera speculatione hominum. Interim ex dictis patet, Conclusionem nostram esse probabilem, quam ut talem, & non ut omnino certam, proponimus.

Neque repugnat Doctori Subtil. 1. dist. 41. s. Contra istud, num. 12. nam ibi (inquit Felix sup. num. 3.) Doctor solum docet, Deum in primo instanti circa Judam habuisse se merè negativè, neque prædestinando, neque reprobando, quod verum est; sed hoc non inquitur; sed, an Deus pro tota æternitate possit merè negativè se habere. Nam optimè stat, quod pro instanti primo rationis Deus se habeat merè negativè circa Judam, & in alio instanti positivè reprobet, & pro tota æternitate. Sic ille.

Ecce verba Scoti: Dicit potest, quod in isto primo instanti (in quo Petrus & Judas offeruntur voluntati divinæ in existentia naturali, & se merè nã æquales) nihil vult Iuda; sed tantum ibi est gaudere circa negatio volitionis gloria. Et similiter quasi in secundo instanti natura, quando vult Petro gratiam, adhuc nullus actus positivus voluntatis divinæ est circa Iudam, sed tantum negativus.

Sed numquid pro tota æternitate? Sequitur, In tertio instanti, quando vult permittere Petrum esse de massa perditionis, sive dignum perditione, & hoc sive propter peccatum originale, sive actuale: tunc vult permittere, Iudam simili modo esse filium perditionis; & hic est primus actus positivus, uniformis quidem circa Petrum, & Iudam: sed ex isto actu est istud verum, Iudas erit finaliter peccator postis istis negationibus, scilicet quod non vult sibi dare gratiam, nec gloriam. In quarto instanti offertur Iudas, ut peccator finaliter voluntati divinæ, & tunc ipse vult justè puniri, & reprobare Iudam. Ergo pro tota æternitate Deus non habet se merè negativè circa Judam. Planè, reponit quispiam; interim, habet se merè negativè pro primo instanti, in quo tamen posset reflexè velle illam negationem, & illa reflexa volitio est, secundum te, perfectio. Vide, quid respondeas.

Ego pergo ad alias auctoritates Scoti ex

E

eodem

226.

In quo stat libertas quoad exercitium.

Conclusio nostra est probabilis.

227.

Neque repugnat Doctori Subtil. 1. dist. 41. s. Contra istud, num. 12. nam ibi (inquit Felix sup. num. 3.) Doctor solum docet, Deum in primo instanti circa Judam habuisse se merè negativè, neque prædestinando, neque reprobando, quod verum est; sed hoc non inquitur; sed, an Deus pro tota æternitate possit merè negativè se habere. Nam optimè stat, quod pro instanti primo rationis Deus se habeat merè negativè circa Judam, & in alio instanti positivè reprobet, & pro tota æternitate. Sic ille.

228.

Deus pro primo instanti se merè negativè habet circa Iudam.

229.

Non tamen pro tota æternitate. Scotus.

230.

Alia nu-
meritates
Scoti lo-
quuntur de
peccato, de
quo hic non
loquimur.

eodem lib. dist. 47. num. 3. & in Report. dist. 48. in solutione 2. argum. 4. quæst. Sed ibi (ut notat Felix supra) loquitur de peccato, circa quod Deus nequit habere actum positivum, nisi nolle, quod si efficax sit, nullum erit peccatum; & in præfenti non loquimur de peccato; sed de aliis privationibus, vel negationibus, & de actu vel omissione efficaci. Ita Franc. Et merito, ut patebit ex genuinis verbis Scoti.

231.
Quid sit
permissio
Dei, ex
Scoto.

Quomodo
Deus dica-
tur volens
sincere, ex
eodem.

Itaque 1. loco cit. sic ait: Potest dici, quod permissio (Dei) extra, vel signum est, quod effectus sit, qui tamen est contra præceptum divinum, & illud est permissio, quod est signum voluntatis divina: huic autem non correspondet aliquid in ipsa voluntate divina, nisi non velle prohibere illud, sive non nolle, quod est negatio actus divini positivi; & per consequens non est actus positivus. Et quod dicitur, volens sinere, hoc potest intelligi, non quod habeat velle rectum circa illud, quod permittitur, sed actum reflexum: offertur enim voluntati sua, hunc peccaturum, vel peccare, primo voluntas ejus circa hunc non habet velle; velle enim ipsum habere peccatum non potest. Secundo potest intelligere voluntatem suam, non volentem hoc: & tunc potest velle, voluntatem suam non velle hoc: & ita dicitur volens sinere, & voluntarie permittere; sicut ex alia parte præsentato sibi iuda, primo Deus habet non velle sibi gloriam, & non primo nolle, secundum illam ultimam positionem dist. 41. & potest tunc secundo se reflectere super istam negationem actus, & velle eam; & ita volens sive voluntarie non eligis iudam finaliter peccaturum, & non nolitionem gloria, sed non volitionem gloria.

232.
Deus circa
mala culpæ
habet tan-
tum non
velle.
Scotus.

Quid clarius, quam Doctorem nostrum ibi loqui de peccato, & non de aliis privationibus, vel negationibus? Et consimiliter in Reportatis loc. citat. num. 13. impress. Colonienfis, ubi sic scribit: Ad aliud dico, quod Deus voluit omnia determinatè, & alteram partem futuri contingentis; non tamen sequitur, quod vult determinatè alteram partem futuri, qua continget, ut in multis contradictoriis, ubi illa pars, qua continget, est mala; quia si eam vellet, vellet malum; si eam nollet (scilicet efficaciter) non fieret: ideo tantum habet ibi non velle; de illa, qua non fiet, sufficit non velle; nec oportet respectu ejus Deum velle, nec nolle. Ut vides, & hic agit de malis, scilicet malis culpæ seu peccatis, de quibus impræfentiarum est potissima difficultas; utrum, & quâ ratione pertineant ad secundarium divinæ voluntatis objectum. Pro qua difficultate instituitur

CONCLUSIO IX.

Mala culpæ, ne quidem per accidens, cadunt sub divinam voluntatem complacentiæ; sed sub permissivam tantum.

Disput. præced. Sect. 7. in principio dicitur cum Smising, non ens posse dividi in negationem, privationem, & ens rationis. Adde hoc loco ex eodem Auctore tract. 3. Disput. 3. num. 48. negationis & privationis & subordinationem, seu potius diverfam considerationem; nempe, in quantum negatio, & privatio physica est, & in quantum moralis est: physica est, quatenus est naturalis absentia formæ aut entis, cuius privatio negatione est; moralis verò, quatenus talis absentia libera est. Privatio autem sive moralis, sive naturalis, à negatione morali, aut naturali differt; quod privatio est absentia formæ debet inesse, negatio autem est absentia formæ non debet inesse, aut absentia totius esse. Et hinc privatio appellatur malum, non purè negatio; dividiturque privatio in malum naturæ, & malum morale; & hoc rursus in malum pænæ, & malum culpæ, quatenus forma, cui oppositur privatio, naturæ intellectuali, vel ut natura est, vel ut libera est, vel etiam ut ratione libertatis defectibilis, meriti aut demeriti capax est, debetur. Ita Theod.

Igitur malum culpæ, de quo hæc disputatur, non est aliud formaliter, quam moralis privatio rectitudinis debet inesse actui, vel potentia ex lege. Et verò talem privationem cadere sub voluntatem Dei permissivam (quæ partim est quid negativum, videlicet, non velle impedire; partim quid positivum, scilicet, nolle impedire, ut alibi latius dicitur) probatur ex Smising (sup. num. 51. hæc ratione; quod Deum nihil debeat evenire in rebus creatis, sine voluntate causæ primæ, quia aliis plenum creaturæ dominium non haberet, nec posset ad libitum de illa disponere.

Addi possunt etiam ad hoc confirmandum Scripturæ, quibus indicatur, Deum sæpè impedire mala culpæ ne fiant, juxta illud Sap. 4. v. 11. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus; edque tendunt omnes orationes Sanctorum, quibus plenæ sunt Scripturæ, implorantes divinam custodiam à peccatis, quod mirum signum est nisi Deo permittente, peccata (quæ sunt mala culpæ) fieri non posse.

Hinc D. Augustinus Enchir. cap. 95. Non fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo, ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est, Deum facere bene, etiam sinendo fieri, quæcumque sunt malè; non enim hoc nisi iusto iudicio finit. Ubi nota ly, Quæcumque; ergo etiam